V.

DISSERTATIO
DE
JURE CONDOMINI TERRITORIALIS,
EXTRA TEMPUS ADMINISTRATIONIS,
PER ALTERNAS VICES QUÆ CONDOMINIS COMPETIT,
CONSTITUTI,

PRÆSIDE

MICHAELE GRASSO,
J. U. D. Pandect. & Sanction. Crim. Profess. Publ. Ordin.
Serenissimi Ducis Würtembergiæ Consiliario,

PRO LICENTIA

JOHANNE CHRISTOPHORO HARTLIEB dicto WALSPORN,
Memminga-Suevo.

TUBINGÆ, 1717.

A. Ω.

PRÆFATIUNCULA.

Præsens hoc thema inaugurali, qui post exantlata consueta Examina in Alma hac Eberhardina nobis nunc incumbit, labori lubentes destinavimus, partim ob nobiliorem ejus præstantiam, partim ob crebriorem ejus etiam in Summis Imperii nostri Tribunalibus & inter personas quoque illustres integrasque Respublicas aut universitates obvenientem usum. Hoc equidem, si pro dignitate sua penitius explicare aut exhaurire deberemus, diffusissima opus foret tractatione, cui hac vice invigilare nobis non licet, cum officii ratio, & aliæ circumstantiæ, ad ea quæ peragenda jam imminent, citius nos revocent. Agemus ergo quæ per temporis compendium poterimus, selecturi tanquam ex uberiori messe ea, quæ præcipue è re esse visa sunt. Nullatenus vero dubitamus, quin & hæc, qualia qualia sunt, ad destinatum suum finem usui futura sint, quæ ut æqui bonique consulantur, est quod voveamus atque speremus.

TRACTATIONIS.

CAPUT I.

Exhibens generaliorem hujus materiæ doctrinam, cognitionem atque complexum.

§. I.

DEscribi potest Jus Condomini territorialis extra tempus administrationis, alternis vicibus cuique Condominorum concreditæ, constituti, quod sit facultas moralis jure quæsita ei, qui territorium aliquod cum alio, vel uno pluribus, eodem habendi modo, pro partibus indivisis proprium habet, circa illud ipsum una cum juribus pertinentiis & accessionibus suis juste aliquid, non tantum cum consensu condomini, aut, si plures sunt, reliquorum condominorum omnium, sed & non adhibitis in consilium illis, ut ut in administratione per temporum subalternationem legitime existentibus, pro libero legibus communionis tamen non contrario arbitrio suo agendi vel habendi. Sive brevius est Jus in aut de territorio plurium pro partibus indivisis proprio sine metu impedimenti cum juris quodam effectu ab Administratoribus objiciendi juste aliquid agendi vel habendi.

§. 2.

Ut res planior fiat descriptionem illam per partes suas non nihil quantum opus erit plenius explicabimus. Vocabulum Juris quam variæ sit significationis in eo non morabimur vid. Hahn. *ad Wes. ad tit. de J. & J. in Obs. 14. ad verb. varie quoque* Ekhold. & Schwend. *in notis ad dict. tit.* §. *16.* Rebhan in Hodeg. *jur. ch. 2. clim. 1. par. 8. lit. a. b.* Dn. Lauterb. *in colleg. theor. pract. ad tit. de just. & jur. thes. 20.* Hic nobis accipitur Synonimice cum potestate legitime competente, uti hinc inde non tantum apud Philosophos, sed & Jureconsultos in legibus nostris usu venit *leg. 215. ff. de V. S. leg. 1. leg. 3. ff. quod quisque jur. in alt.* Loco generis ponitur *facultas.* Hæc etenim, uti & vocabulum *potestatis*, *laxius* quando sumitur, latiorem infert significationem, quam vocabulum *Juris.* Dicitur quippe quis suo jure uti, quoties quis facultatem seu potestatem, quam quis ad aliquid habet, recte exercet: unde & Lud. Molin. *de Just. & Jur. tr. 1. Disp. 1.* in genere jus definit per facultatem aliquid faciendi, sive obtinendi, aut in eo insistendi, aut alio aliquo modo se habendi, cui si absque legitima causa contraveniatur injuria fit eam habenti, id quod recte probat & plurimis exemplis juridicis confirmat Hahn *in eleganti suo tract. de Jure rer. c. 1. concl. 2. & concl. 5. per tot. & seqq.*

§. 3.

§. 3.

Dicitur quod sit facultas *moralis*, quia hoc jus talem facultatem denotat, quâ persona aliqua cum effectu morali potest edere actionem voluntariam, ita ut cum ex ejus arbitrio pendeat agere id an omittere velit, effectus actionis in agente se exerat, eique imputetur, vel in bonam vel in malam partem pro diversitate qualitatis actionum vid. Pufendorff *in Elem. Jurisprud. univers. l. 2. axi: 1.* non autem ponitur simpliciter *facultas moralis*, sed cum additamento *jure quæsita*, quandoquidem *illa* videtur magis insinuare *actualem præsentiam qualitatis alicujus* in res vel personas, obscurius autem saltem connotare & fere in medio relinquere *modum*, quo quis ea sit potius; hunc vero superaddita *hæc verba* perspicue indicant, ut jam intelligamus istam facultatem recte fuisse acquisitam, & jam recte quoque obtineri & exerceri Hahn *d. tr. cap. 1. concl. 2. n. 7.* Hæc duo vero *qualitatem* sc. illam & *modum* per vocabulum juris magis exprimi, quippe quod utrumque perspicuè in se habet, statuit Pufendorff *d. l. def. 8. §. 1.* & exinde quoque JCti, quod alias per *facultatem* communiter definitur, per vocabulum *juris* reddere solent, ut percipiatur *non omnem* facultatem aut potestatem, etiam *naturalem* saltem intelligi debere, sed *legitimam & justam*, quæ homini competit ad aliquid juste habendum aut agendum ex Dei vel mortalium ordinatione, atque ex causa de effectu judicari debere. Feltmann. *in tr. de Jur. in re & ad rem c. 1. n. 34*

§. 4.

Condominus territorialis ille est, qui aliquod territorium, cum alio vel aliis proprietate tenus, pro partibus indivisis, commune habet. Alias *Dominus* simpliciter talis propriè is est, qui jus in re tale habet, quo res corporalis singularis fit propria, uti id patet *ex leg. 13. §. 1. ff. de damn. inf. junct. leg. 16. §. 33. l. 19. pr. eod. l. 2. §. 1. D. si serv. vind. l. 6. C. d. pact. int. empt. & vend. l. 16. C. d. præd. & al. reb. min. leg. 2. & 3. C. de jur. domin. impetr. l. 3. §. 12. ff. ad exhib. leg. 13. §. 1. C. de jud.* in quibus ultimis duobus textibus 4. species simul tanquam sibi contra distinctæ recensentur, & præcipua jurium in re species dicitur, quia cœtera jura in rem virtualiter comprehendit. Joh. d. Lugo *d. J. & J. t. 1. d. 2. §. 1. n. 1.* & in ipsum corpus aut ipsam rei substantiam comparatum *d. leg. 13. ff. de damn. inf.* ita ut etiam ad extremum proprietatis, quod est alienare, perdere, consumere, se extendat. Hahn. *d. tr. c. 2. concl. 18. n. 3.* â quo proximius abest *Jus hæreditarium*, quippe quod etiam est quasi quoddam universitatis dominium, quo res illa universalis, aut hereditas universa, aut quota quota est etiam nostra aut propria dicitur *l. 24. ff. de V. S.* dominium insimul rerum singularium, positis terminis habilibus præsumtive sub se comprehendens *l. 37. ff. de A. vel O. H. l. 80. ff. de leg. 2.* & hactenus eo magis referendum,

cum

cum & hactenus in substantiam ipsius rei competere posse non male dicatur *arg. l. 13. ff. fam. erc.* Dn. Præses *in concl. Jurid. inaug. noviss. concl. 5.* cum ibid. all. Thom. apud Fritsch. *in Diss. leg. Ac. diss. 6. d. Litig, pos. 6. n. 17. seqq. & n. 24. seqq.* in quo hæ duæ juris in re species differunt à *reliquis tribus* speciebus, *servitute, pignore*, & *possessione*, quæ saltim in rei accidentia i. e. in emolumentum & utilitatem, quæ ex illa alio modo haberi potest tantum sunt comparatæ Hahn *d. l. in fin.* Schwendendorff ad Eckhold. *tit. de R. V. §. 1.* qui quidem existimat dominium explicatius definiri *per jus in re in ipsam rei substantiam competens:* cum hoc modo forma & differentia specifica dominii distinctius exprimatur in ordine ad reliqua jura in re, quam si definiatur per *jus in re, quo res corporalis sit propria*, quia proprium esse & ad reliqua jura realia spectet: Sed quia hò *proprium* in definitione dominii *stricte*, per *text. supr. alleg.* in reliquis vero speciebus *late* & *abusive* accipitur, ita ut dominium hoc modo acceptum convertibiliter se habeat cum jure in re in genere considerato, quod Bornio quinquemembri juris in re divisioni ab Hahn statuminatæ se opponenti *integr. diss. Lips. hab. Anno 1662. de jur. in re act. real. prod.* luculenter satis commonstravit, textibus ubique locupletissimis pro propria & abusiva illa acceptione adductis Enoch. Glæser *in diss. apol. Bornio hac in re apposita per tot. inprimis c. 2. §. 2. seqq.* non est quod propterea accuratiorem illam & luculentiorem *à fine proprietatis* petitam & communiter receptam definitionem deseramus, potius vero est, ut utramque conjungamus melioris explicationis gratia, *uti jam ex traditis apparet*, de cœtero quod Hahn & Schwendend. jus *in substantiam* rei competens unice *dominio* stricte sic dicto tribuant, *de reliquis* vero speciebus juris in re in genere & *indistinctè* deprædicent jus in *accidentia* comparatum, id *limitationem* quandam pati ex *jure hereditario*, evincunt modo tradita: Tum vero hoc jus hereditarium tamen in eo differt formaliter *à jure dominii*, quod illud dicat hereditatem *universam* & tanquam rem universalem, qualis etiam dicitur ratione patris quotitativæ *per tot. tit. si pars her. pet. junct. tit. de her. pet.* propriam *leg. 10. pr. 115. seqq. de her. pet.* & deinde *res singulas* in ea contentas ut plurimum saltem *præsumtive* proprias, cum & in hereditate reperiantur communiter non tantum Testatoris propriæ, sed & alienæ, depositæ, commodatæ &c. *Hoc* vero dicat rem corporalem *singularem* propriam, & quidem *vere* talem vid. B. Dn. Frommann. *d. diff. art. petit. & poss. §. 10.* Uti vero hæc hactenus tradita vera sunt de domino *solitario*, ita eodem modo se res habet in eo, qui *commune* cum alio vel aliis in re aliqua dominium habet, *Condominus* inde dictus, qui est is qui jus in re tale conjunctim cum alio vel uno pluribus habet, quo res corporalis duorum pluriumve pro partibus indivisis est propria. B. Dn. Frommann *de condom. th. 5. & passim.* Germ. gemein Eigenthumb,

thum, viel herrlich eigenthum, mit oder samt Herrschafft Besold. *in thes. pract.* & Diether. *contin. h. voc.*

§. 5.

Territorium unde dicitur vid. pluribus laud. B. Dn. Frommann. *de condom. territ. c. 1. §. 1.* Aliter autem accipitur de Jure *Civili* Romano Justinianeo, quo territorium sumitur pro universitate agrorum intra fines cujusque civitatis, oppidi, villæ, districtûs, pagi aut Castri *l. 239. §. 8. ff. de V. S. l. 4. §. 2. ff. d. censib.* jurisdictione quidem munita, sed non territoriali moderna, nomine superioritatis territorialis quæ venire solet, tum temporis nondum adinventa, sed saltem tali, quæ Magistratus jure competit, ita ut pro jurisdictionis talis districtu, & sic ager tanquam continens pro contento accipiatur, cum Magistratus ejusdem loci intra fines terrendi aut submovendi jus habeat, die Macht zu bännigen *d. l. 239. & 1. ff. d. V. S. l. f. in ff. d. jurisd. & 4. J. d. Attil. Tut.* B. Dn. Stryck. *d. jurisd. circumsept. c. 1. n. 38.* Aliter vero Jure *publico R. G.* quo etiam sumitur pro universitate agrorum jurisdictione munità, sed immediatis Imperii Civibus proprie saltem competente & Jus superioritatis der Hohen Landes Obrigkeit, ei quippe hodie annexum involvente: uti post Stryck. *l. cit.* rectissime hoc distinguit B. Dn. Frommann. *de Cond. territ. c. 1. num. 3.* add. omnino Dn. Præs. *differt. de modo taxandi jurisd. §. 2.* Et in ultimo hoc significatu hic territorium accipitur, denotans terræ spatium & universitatem agrorum jurisdictione territoriali in sensu moderno & Statui Imperii nostri R. G. accommodato tali munitâ, quatenus totum illud ex pluribus partibus unitum atq; conjunctum spectatur, quod Dominorum proprium recte dicitur, tanquam res omnino corporalis, non attento eo, quod singuli agri in territorio illo siti non sint istius territorii Dominorum proprii. Sufficit enim hic quod totum tale sit. Et uti id est in dominis solitariis, ita & in Condominis territorialibus, qui tales sunt, quales *thes. 1.* descripsimus.

§. 6.

Non est vero Condominus territorialis, quod jam antevertimus dicere, nisi ei sit territorium cum alio vel aliis proprietate tenus commune *pro partibus indivisis.* Divisio sane realiter quæ facta est, contraria est communioni proprie & strictæ sic dictæ, nec datur amplius condominium partis actualiter jam separatæ atque divisæ, quam quippe quisque Condominorum, qui antea tales erant, sibi soli tenet sine concursu alterius, tanquam totum aliquod solitariè proprium *l. pen. C. comm. div.* Sic quando unius domus duæ partes per divisionem realem actualiter separatæ sunt, ita ut e. g. inferior Titio soli, superior Cajo soli, hactenus ejus inter se condomini qui extiterunt, actu jam cessa sit atque tradita, ut ut partes istæ partes adhuc dum sint unius corporis,

unius domus, structurâ suâ talis, & eatenus adhuc dum possit dici quædam communio, quoad formam illam *externam* ex ratione connexionis atque cohærentiæ, quæ & sic quoque perdurare videtur, tamen proprie loquendo partes illæ non sunt amplius communes aut plurium dominorum propriæ, sed quisque suam partem tenet totam tanquam sibi soli propriam, de qua solus quoque disponere potest pro lubitu, perinde ac si nullo unquam modo nulloque tempore fuisset communis. *l. 6. ff. Com. præd. l. 25. §. 1. ff. de V. S.* Debent ergo partes indivisæ esse, ubi Condominium aliquod præsupponitur, & concurrit quisque in qualibet etiam minima parte, adeo ut ne atomum quidem superesse dicant, qui communioni isti non subjaceat, qua durante quilibet quidem partem juris intellectu habet, neuter tamen Condominorum suam partem ab alterius parte discretam ostendere valet *l. 66. §. 2. ff. d. leg. 2. l. 5. §. fin. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 19. ff. d. A. R. D. l. 43. ff. d. A. vel. O. P.*

§. 7.

Illud nihil interrest territorium illud an commune sit pro partibus *indivisis æqualibus*, an *inæqualibus*. Nam & in territorio *hoc modo* communi non minus quis est Condominus, ac est in territorio *illo* modo communi, quamvis hic majorem partem sibi pro indiviso acquisitam habeat, quod legitime fieri potest quando quis e. gr. tertiam partem sibi coëmit, altero reliquas partes possidente, vel inæqualem ejusmodi portionem Judicio Testatoris sive legati, sive alio titulo sibi partam plures pro indiviso habent, vid. *l. 34. §. 12. ff. de leg. 1. l. 63. §. 1. ff. d. A. R. D.* Sane qui est Dominus in *tertia* illa, aut minima, parte, æque est Dominus & quidem totius illius rei, ac ille, qui jus illud habet in duabus istis tertiis, aut in majori parte, cum & *hic* concurrat in parte illa minima per corpus illud universum adhucdum quasi divagante, & in incerto posita, & *ille* in parte hac majori nondum etiam ad certum aliquod punctum revocatâ, nec certo loco vel termino circumscripta aut inclusa, sed cum minori illa particula hactenus pro indiviso communi, ita ut nec hactenus quis possit partem suam distinctam monstrare, aut hanc vel illam suam solam dicere, nec horum aliquis sine alterius consensu aut concursu aliquid de tali re adhuc ita communi statuere valeat *l. 28. ff. comm. div. vid.* B. Dn. D. Frommann. *de Condom. th. 31. seqq. plurib.*

§. 8.

Nec sine ratione descriptioni nostræ inserta sunt verba: *eodem habendi modo.* Ad condominium enim proprie tale requiritur, ut duo vel plures ad unam eandemque rem proprietate tenus concurrant uno eodemque tempore, ac uno eodemque habendi modo, aut eodem Dominii genere. Siquidem si alius alio dominii genere rem suam dicat, alius verò eandem alio iterum dominii

minii genere sibi vindicet, hi nullo modo possunt dici Condomini, quia non eodem habendi modo jus suum in eo sibi asserunt. Sic quamvis Uxor rei dotalis domina dicatur & maritus quoque jure optimo ejusdem illius dominus sit, tamen nullo modo hi possunt dici Condomini illius, quia quando uxor domina dicitur vid. *l. 3. §. 5. ff. d. minor. l. 71. ff. d. evict. l. 75. pr. ff. de jur. dot. l. 4. ff. d. collat.* dicitur talis, dominio saltim *naturali*, in spe potius consistente, & respectum saltem involvente in futurum soluti matrimonii eventum, quo dos ad uxorem ipso jure & sine retro traditione reversura est ad uxorem vid. Bach. *ad Treut. l. v. 2. D. 7. th. 6. lit. c.* Maritus vero dominus est dominio *civili*, realiter, vere, absolute & cum plenissimo effectu, in quantum legis prohibitio non impedit, sic dicto: *per text. in l. 30. Cod. de jur. dot. & ib. Dd. §. 1. Inst. quib. al. lic. vel non l. 7. §. 3. l. 75. ff. d. jur. dot. l. 10. l. 21. l 23. Cod. eod. l. 13. §. 2. ff de fund. dot. l. 1. §. 7. pro dot. l. 21. §. 4. ff. ad municip.* Eodem pacto nec sunt condomini fundi feudalis, emphiteutici, aut superficiei, Dominus *directus* aut superior, & Dominus *utilis* aut Inferior, puta vasallus, Emphyteuta, Superficiarius, quia alio habendi modo, Jus in tali re fundatum habet *ille*, qui quippe dominio, quod vocant *directo*, alio modo *hic*, qui nempe dominio utili, quod appellitant, gaudet: quæ dominii distinctio quamvis quoad nomen in legibus nostris non reperiatur, re ipsa tamen non disconvenit, & insequentibus moribus invaluisse praxique moderna ita vires sumsisse, ut toties quoties de iis judicia nostra personent, indubium plane est: vid. Frommann. *d. domin. acquis. thes. 16. 32. & seqq.* ibique alleg. & Dn. Præses in diss. *de red. dom. leg. 1. thes. 2. & 8. & de eod. diss. 2. th. 1. seqq.* ubi pluribus. Quo ipso tamen non negamus dari & Condominium in hisce dominii minus pleni speciebus, veluti ubi *plures* sunt domini *directi* aut superiores, Ober-Eigenthums-Herren, pro indiviso unius fundi, prædii aut territorii quod alii in feudum, emphyteusin aut superficiem concedunt: & ex diverso ubi *plures* sunt domini *utiles* aut inferiores, die Minder-eigenthums Herren, quibus unum aliquod castrum aut prædium jure vasallagii, emphyteuseos, aut superficiei pro indiviso conceditur. Hi enim utrobique eodem modo habendi, quisque in suo genere, pro partibus indivisis in uno eodemque hoc objecto concurrunt, condomini exinde existentes, & rem tanquam propriam pro partibus illis indivisis sibi vindicantes. laud. Dn. Frommann. *de condom. thes. 8. in fin. & thes. 9.* die Gemeins-Herren, ubi condominium territorii dicitur, zwey, drey, oder mehr herrige, viel herrige, mit-zugleich-gesamt-gemeine Herrschafft, Besoldus & Diether. *in th. pract. lit. 2. n. 44. & lit. G. n. 46.* Frommann *de Condom. territ. c. 1. thes. 10.* Huic condominio territorii vero an modo allata & recepta distinctio in dominium directum & utile quoque applicari possit? quæri

meretur. Negat id laud. modo Dn. Frommann. *d.l.c.3. thes. 2.* Quod tamen non simpliciter, uti verba ibi jacent, accipiendum esse censemus, sed restringi debere ad exempla feudorum Imperialium, quæ dum ab Imperatore conceduntur nullum Condominium directum admittunt, res ipsa loquitur. Neque enim hic reperiuntur plures Condomini directi, qui talia feuda conferunt, nec potest hic casus aliquis, stante præsente imperii R. G. Statu, fingi aut excogitari, quo detur hactenus condominium aliquod directum. Solus enim Cæsar una cum Imperio feuda illa concedit, ubi non nisi unus est dominus superior, nullus vero Condominus, & pro eo hoc habendum, ac si tota Resp. R. G. infeudaret, vid. Itter. *de feud. Imp. c.19. §. 2. seqq.* Et ideo negativa illa saltem intelligenda ratione 1. dominii aut condominii *directi*, quod invenire hic non licet, ut modo demonstravimus, non vero ratione dominii *utilis*, in quo concursus plurium Condominorum territorialium neutiquam deficit, ut ex sequentibus ulterius patebit. 2. de *prima* aut immediata illa feudificatione, quæ ita fit ab Imperatore, non vero de *subinfeudatione* aut *sub emphyteuticatione* Condominorum utilium in territorio tali. 3. de eo casu ubi agitur de coexistentia talismodi Condominii territorialis *directi* cum condominio tali *utili*, quale exemplum in feudis ejusmodi imperialibus simul non datur. Quod vero in imperio nostro R. G. unius ejusdemque territorii 1. plures possint esse condomini *utiles*, exempla varia probant, veluti in domo Brunsvico Lüneburgica, Anhaltina, aliisque, ubi plures in regalibus Imp. feudis succedunt, & de iis simul investiuntur, ita ut unusquisque Vasallus domini sit, quamvis ut plurimum unus nomine omnium investituram petere & accipere soleat, qui vocatur der Lehenträger. Itter. *d. l. c. 11. §. 12.* Struv. *in S. J. F. c.10. aph.3. n. 1. seqq.* Stryck. *in Ex. Jur. feud. c. 13. qu. 7. & c. 17. qu. 4. & ibid.* Winziger *in adnot.* B. Dn. D. Grave *de simult. inv. th. 5.* Quod 2. plures domini *utiles* de uno castro aut territorio simul subinfeudari aut sub emphyteuticari possint concludere licet ex *2. F. 9. pr. & 2. F. 26. §. Beneficium. 2. F. 55. §. insuper 2.* & iis qui hanc in rem scribunt. Struv. *in S. J. F. c. 12. aph. 9. seqq.* Stryck. *in Ex. Jur. feud. c. 19. qu. 23. seqq.* Franzk de laudemio *c.14. n.42. seqq.* Dn. Præses *in Diss. de red. dom. leg. 2. th. 7. circ. fin.* Et uti unum subvasallum aut emphyteutam sibi constituere licet primo Vasallo aut primo Emphyteutæ, ita & plures sibi eligere potest pro lubitu. *arg. text. mod. citt. junct. l.20. §. fin. ff. de A. R.* B. Dn. D. Frommann. *de condom. territ. c.4. §.6. & 7.* id quod etiam in feudis regalibus locum invenit, & non tantum ratione partis quantitativæ ad quam id restringunt. Struv. *d.l.aph. 10. n.5. seqq.* Stryck. *d.l.qu. 26.* aliique, sed & ratione totius feudi regalis, quod de praxi hodierna in plerisque Europæ locis pro indubio habet B. Dn. Maurit.

in

in possit. feud dec. 13. §. 7. & Germaniæ nostræ consuetudine atque observantia rem esse expeditam censet Itter *de feud. Imper. c. 22.* §. 5. in quo & multi alii ab his allegati consentiunt: quod tamen non aliter ac salvo jure Imperii fieri posse recte monet Dn. Rhet. 2. *in jur. publ. 29.* §. 2. *junct. 8.* prout etiam de cætero subinfeudatio talis legitime & sine fraude fieri debet. Stryck. *d. l. qu. 27. Itter. d. l.* §. 6 Ex quibus jam sua sponte sequitur, quod & 3. in Imperio nostro R. G. unius ejusdemque territorii plures *Condomini Directi* & plures *Condomini utiles* simul existere queant *in subinfeudatione*, quando scil. illi, qui de eodem territorio simultaneè durch eine gesamte Hand-Belehnung, oder Mit-Belehnung investiti plures subalternos Vasallos sub infeudando sibi deligunt atque constituunt, B. Dn. Frommann *de Condom. territ. c. 4. th. 7.* vel quando iterum hi plures subalterni vasalli subinfeudatione secunda, aut ulteriori plures itidem subinfeudant, quod in infinitum fieri posse, post varias variè sentientium Doctorum opiniones recensitas, rectius statuminat B. Dn. Maurit. *d. l. th. 6.* & Dn. Itter. *d. l.* §. 7. quibus in casibus *utiles* illi Condomini primo loco tales quodammodo & sunt Condomini *Directi* in ordine & oppositione ad subvasallos suos, & hos iterum eodem modo ad suos secundo & ulteriori loco subordinatos subvasallos. Dn. Præses *in Dissert. d. Red. dom. leg. 2.* §. 7. *in fin.* ubi etiam quod idem obtineat in subemphyteuticatione.

§. 9.

Hoc jus, de quo hic agimus, Condominis dicitur competere, uti *principaliter* in ipsum territorium commune, ita & per *necessariam consequentiam* in ea quoque, quæ ad territorium illud spectant, *jura, accessiones, omnesque pertinentias.* Quamvis enim dominium stricte sic dictum non competat nisi in res corporales, uti hic est illud territorium, quod designat terræ spatium & universitatem agrorum jurisdictione territoriali munitam, quod, quà est totum ita conjunctum, proprium est communiter id tenentium, utut agri singuli haut sint in horum condominio; Attamen quia pertinentiæ & jura, in specie quoque & jurisdictio aut superioritas territorialis, se habent ad territorium ut virtutes dominii rei corporalis singularis ad ipsum dominium, inde quod Dominus aut Condominus circa territorium agere potest, idem & circa talia jura potest, vi & virtute ejusdem condominii territorialis. B. Dn. Frommann. *d. cond. territ. c. 1. th. 5.* ut propterea merito verba illa *una cum juribus, pertinentiis & accessionibus suis*, descriptioni supra allatæ inseri debuerint, quia & circa ea omnia jus condominii talis se extendit.

§. 10.

Condominus istiusmodi quicquid circa territorium, vel jura ei inhærentia, aut ad id pertinentia, agendum suscipit, in eo merito alterius Condomini

mini, aut si plures sunt, illorum omnium consensum requirit, sine quo in re communi, quà tali, nil valide agere potest. Disponeret enim de re aut parte aliena, quia quævis particula, etiam minima, ita communis est, ut ad alterum quoque pertineat, adeoque invito hoc quicquid agit, sine effectu regulariter agit, cum alteri jus prohibendi sit. *leg. 28. ff. comm. divid. l. 5. ff. d. stip. serv.* & inter tales Condominos unio quædam existat, ut quasi unus tantummodo territorii illius, & huic incumbentis jurisdictionis aliorumque adhærentium jurium dominus sit & dispensator, pluribus illis effective pro una quasi persona reputatis, ut adeo nullus ex iis sine alio quid facere valeat, non magis ac quis sine seipso quid facere posse dicetur. Phil. Matth. *vol. 2. cons. Marp. 27. n. 19.* Bald. *vol. 1. cons. 396. num. 4.* Paul. de Castro *ad l. 18. §. 1. ff. de pign. act.* Si nemo Condominorum in loco judicii communi, gemeinen oder gesamten Gerichts Orth ædificare invito altero potest. *l. 8. l. 27. §. f. ff. de S. P. U.* ex ratione ibi expresse posita, quia is non solus dominus: etiamsi ædificatio aut mutatio fiat in melius. Hect. Fetic. *de Societ. c. 28. num. 16. & 55.* Gail. *de pign. obs. 20.* aliique, quos hanc in rem allegat Brunnem. *ad leg. 28. ff. comm. div.* ubi alias adhuc ampliationes hujus juris profert. Sic unus Condominorum superioritate territoriali gaudentium sine alterius consensu constituere vel immutare quid non potest, vel fœdera pangendo, vel ab illis jam jam pactis recedendo, novas leges aut statuta condendo, mutando & id genus alia moliendo. Quorsum etiam referri potest quod olim in Comitiis Ratisponensibus A. 1654. tractatum legitur inter Electorem Brandenburgicum & Comites de Lipp. de civitate communi ejus nominis, das nemlich kein Theil ohne des anderen Vorwissen und Einwilligung eine Guarnison, Zeug-Haus und dergleichen halten soll. Speidel *in Spec. histor. Jur. pol. lit. S. num. 20.* Joh. Ad. Will. *in Disp. inaug.* Gieß *de jurisdict. comm.* von Gemein Herrschafft *c. 4. §. 3.* ubi aliud adhuc exemplum de collectis & gabellis noviter sine consensu omnium & singulorum Condominorum à nonnullis eorum saltem indictis in Civitate Gunzelsau inter Electorem Moguntinum, Episcopum Herbipolensem, Comites de Hohenlohe & Barones de Stetten communi adducit, & actitata illa ex defectu consensus singulorum jure non subsistere recte concludit.

§. 11.

Hæc *de regula.* Dantur tamen casus ubi unus Condominorum etiam territorialium, non adhibitis in consilium, aut invitis plane aliis condominis in territorio aut alia re communi, tum *qua tali*, tum & maxime qua *partem saltem suam*, utut adhuc pro indiviso talem respicit, quid suscipere atque peragere propitio jure nostro potest. Quod innuimus verbis descriptioni nostræ hunc in modum insertis: *juste aliquid non tantum cum consensu condomini,*

aut

aut si plures sunt, reliquorum condominorum omnium, sed & non adhibitis in consilium illis &c. pro libero legibus tamen communionis non contrario arbitrio suo agendi vel habendi. Quod attinet ad casum *primum* facultatis *in re communi, qua communi*, uni etiam dominorum competentis, utut reliqui dissentiant, ejus varia exempla collegit ex adcitatis Brunnem. *d. l. num. 6. seqq.* veluti 1. in commune sepulchrum etiam renitente condomino mortuum inferre licet favore humanitatis & religionis §. *9. l. d. R. D. l. 2. §. 5. ff. de relig. & sumpt. fun.* ut & 2. si quid fit in re communi, quod alteri non nocet, agenti vero prodest, ut si parietem incrustravit aut pinxit. *l. 13. §. f. ff. d. S. P. U.* maxime vero 3. quando *publicæ utilitatis ratio* exigit, ut dissensus & prohibitio reliquorum Condominorum non attendatur, hujus enim potior causa esse debet, quam interesse privati *l 51. §. f. ff. ad L. Aqu.* Hoc respectu utut uni soli invitis aliis condominis ædificare minime liceat, tamen reficere & reparare communem locum potest unus etiam contradicentibus reliquis: siquidem publicè interest ædes à ruinarum fœditatibus præservari *l. 7. ff. d. off. Præs. l. f. C. de jur. Reip.* Cujus refectionis tantus quoque favor est, ut Condomino intra 4. menses sumptus pro parte ipsius erogatos cum usuris non restituente reficiens pro solido dominium in loco communi sibi acquirat, *l. 4. C. d. Æd. priv.* Struv. *d. ædif. priv. th. 46.* Mev. *ad Jus Lub. l. 3. art. 5. n. 6.* Bruckner *diss. de jurisd. communi* von gesamten Gerichten *c. 5. §. 6.* idque 4. multo magis si tale quid fiat authoritate & jussu superioris, Magistratus aut Judicis Sande *in decis. Fris. l. 3. t. 8. d. un.* Brunnem. *ad d. l. 28. n. ult.* Quod vero ad *secundum* casum attinet facultatis agendi circa partem fundi aut territorii communis tanquam partem agentis propriam, tralatitii omnino juris est, uni condominorum competere circa hanc partem suam, quà suam, uti etiam ita nomine mei, tui, & sui venit, pars, quam aliquis habet, in re cummuni *l. 23 §. 9. f. in ff. d. V. S. l. 4. c. comm. rer. alien.* & singulorum esse dicitur *l. 5. §. 1. & 2. ff. de leg. 1. l. 2. ff. de condit. & dem. l. 3. ff. fam. ercis.* Mev. *p. 8. d. 181. n. 9.* liberum disponendi & alienandi arbitrium arg. *l. 21. c. mand.* etiam reliquorum condominorum consensu non requisito arg. *l. 3. & 4. C. de comm. rer. alien.* cum enim in parte tali, pro indiviso licet, nullus Condominorum concurrat, sed cuilibet ea quatenus in se spectatur, solitarie competat, alienando nihil decedit portionibus reliquorum Condominorum juxta responsum Fac. Jur. in Alma hac Eberhardina ap. Besold. *p. 2. c. 49. n. 6.* idque per quamlibet alienationis speciem sive per ultimam voluntatem arg. *l. 1. C. qui test. fac. poss.* sive per actum inter vivos e. gr. vendendo, & vel ipsum territorium commune, etiam una cum annexa jurisdictione, vel etiam sine ipsius territorii venditione, saltem jurisdictionem territorialem in se aut in abstracto consideratam, cum utroque modo in

vendi-

venditionem aliamve alienationis ſpeciem conſuetudine & jure modernorum noſtrorum temporum deduci queat, Knichen *de ſublim. & reg. territ. jur. c. 4. n. 11. ſeqq.* Math. Steph. *de jurisd. l. 1. c. 38. num. 39. & l. 2. p. 1. c. 7. §. 190. ſeqq.* B. Dn. D. Frommann. *de condom, territ. c. 9. §. 5.* & plenius Dn. Præſ. *in diſſ. de mod. tax. jurisd. th. 8.* oppignorando *l. C. Si comm. res pign. dat.* & ibid. Jul. â Beyma *l. 2. Comm. div. l. 7. C. comm. utriusq; jud.* Et non tantum ita alienando in Condominorum aliquem in quemcunque ex pluribus ipſe voluerit, ſed etiam in extraneum, eum np. qui Condominus non eſt arg. *l. 14. C. de C. E. V. l. 3. C. de comm. rer. al.* contra quem anne condominus jus protimiſeos habeat? quæri poteſt. Et rationi juris convenientius exiſtimamus Condominum idem offerentem præferri. *l. 3. C. Comm. div. arg. l. 34. §. 2. C. d. donat.* Carpz. *p. 3. c. 15. d. 40. & ibid.* Goswin ab Esbach. Lauterbach. *in colleg. theor. pract. ad tit. comm. div. th. 16.* Anne verò factâ jam venditione & alienatione deinde jure retractus gaudeat? id Condomino jure conceſſum eſſe non deprehendimus *d. l. 14.* Barboſ. *ad l. 4. C. comm. rerum alien.* poſt Jaſon & Bald. Carpzovius *2. c. 3. 1. §. ult.* ubi & præjudicium, Brunnem. *ad l. un. C. non lic. habitator.* Secus tamen ubi vel ſtatuto vel conſuetudine aliud inductum fuerit, tum enim merito Condominus præfertur, ex ſumma quæ hic ſubeſt æquitate. Mev. *p. 7. d. 44. n. 6.* Bruckner *d. jurisd. comm. c. 5. §. 7.* præſertim in condominio territorii, & communi jurisdictione, ex cujusmodi communione tanto plus incommodi reſultare ſolet, quanto crebriores inde & ferventiores lites & difficultates oriri conſtat. B. Dn. D. Frommann. *d. l.* Sin vero territorium non allodiale ſit, ſed feudi nexu affectum, aut jurisdictio illa feudalis ſit, tunc conſenſum Principis aut domini feudi directi ad alienationem eam inſuper requiri certum eſt, Pacian. *d. probat. l. 2. c. 43. n. 24.* Brückner *d. l.* adeo ut ſi neglecto illo conſenſu quis ad alienationem partis ſuæ proceſſerit feudum pro hac parte amittatur, & ſi plures ſunt Condomini directi & ex illis unius conſenſus ſpretus ſaltem pro ejus parte id amittatur arg. *2. F. 38. §. Et ideo privetur quoad illam portionem.* Struv. *S. J. F. c. 13. aph. 9. n. 8.* B. Dn. Frommann. *d. l. th. 6.*

§. 12.

Nec impediri poteſt Condominus territorialis in alienatione tali partis ſuæ per alterum Condominum, *utut hic in adminiſtratione communis territorii conſtitutus ſit.* Quamvis enim iſtiusmodi Condominus Adminiſtrator, non tantum quà partem ſuam, ſed & quà partem alterius pro indiviſo adhucdum communem, ea gaudeat poteſtate, qua quisque Dominus territorialis in territorio ſuo in ſolidum ipſi proprio, & vi hujus officii omnia ea poſſit, quæ alias ſpeciali juſſu opus habent, ſive ad *acquiſitionis*, ſive ad *conſervationis*, ſive *aliena-*

alienationis decretæ, justum moderamen & dispensationem spectent, *arg. l. 1. §. 1. l. 3. ff. de off. Ej. cui mand. jurisd. & t. t. C. de adm. rerump. & t. t. ff. de admin. rer. ad civ. pert.* Attamen potestas illa administrandi rem communem, qua communem, non potest jus alterius condomini non administratoris qua partem suam, tanquam suam, seorsim in se consideratam, aliis limitibus includere, ac leges communionis in & per se secum ferunt, quæ talem alienationem nullo modo inhibent: *per modo tradita*: per consequens nec dissensus ejus, nec prohibitio expressa aliquid operabitur, cum alter illius, quod suum est, liber sit moderator ac arbiter *l. 21. C. mand. l. 2. C. de his quib. ut indign.* nec alterius imperio hactenus obnoxius dici possit, quia tanquam Condomini in hoc sibi pares invicem existunt, qui imperium in se exercere regulariter non valent. *l. 4. ff. d. Rec. qui arb. rec. l. 13. §. 4. ff. ad Sct. Treb. c. 4. c. 6. dist. 21. c. 30. §. quamvis X. de Elect.* utut alter Condominorum tn. se ordine dignitatis aut præeminentiæ multum superior sit altero, veluti si territorium inter se commune habeant Elector, Dux, Princeps, Comes, Baro. *vid. supr. th. 10.* Hoc enim hactenus non attenditur, sed ex respectu rei communis perinde ut pares judicantur. arg. eorum quæ scribit Frommann. *de cond. territ. c. 5. th. 9. seqq.* utut etiam alter, qui administrator est maximam territorii ptrtem sibi suam habeat: nam ex hoc alterius jus, quod is etiam extra tempus administrationis constitutus habet, in parte sua quantumvis minima imminûtum dici non potest. laud. modo Dn. Frommann. *d. l. c. 7. th. 9.*

§. 13.

In rubro & descriptione nostra mentio porro injecta est *administrationis per temporum subalternationem, aut alternis vicibus alicui Condominorum territorialium competentis*, qua occasione notandum est, varios esse modos administrationis aut gubernationis communis territorii. Vel enim Condomini ipsi imperium & jurisdictionem cæteraque omnia exercent conjunctim & communi suffragio: ita ut nullus sine alterius concursu quid agat, aut si quid ita actum tanquam illegitime factum non valeat. Schrader *de feud. p. 10. sect. 4. num. 64.* vel solent exercitium territorialis Condominii & jurisdictionis communis uni consortium suorum concedere, veluti non raro *Seniori*, *vel primogenito*, qui non tantum, aut non unicè, suo, sed & cæterorum Condominorum nomine talia peragit mandata, rescripta decernit ac emanare facit, ac alios actus regimen publicum concernentes expedit, sub hac e. gr. formula: begehren vor Uns und Unsere freundlich-geliebte Herren Brüdere Dn. Slevogt *in Diss. de alternat.* von Mutschiehrung *th. 10.* Brunnem. *Cons. 161. n. 46.* B. Dn. Frommann. *de condom. territ. c. 9. th. 9.* specialiorem ubi hanc formulam von Gottes Gnaden wir Friderich &c. Für Uns und die Durchleuchtige

Fürsten, Unsere freundlich-geliebte Brüdere Herren Albrecht &c. Fügen hiemit öffentlich zu wissen. Vel etiam communem constituunt Procuratorem cum procuratorio, daß der Gevollmächtigte dasjenige verrichten solle, was die Principalen von selbst zur Stelle verrichten könnten, sollten und wollten. ex Blumbach. *d. jur. emphyteut. c. 25.* laud. B. Frommann. *d. l. th. 13.* communem Castellanum, aut castri custodem, einen Burg-Vogt, Kylling. *de Ganerb. diss. 10. num. 2. seqq.* Will. *in diss. Giess. de jurisd. commu. c. 4. §. 9.* communem officialem Judicem, Assessorem, scribam aliosve pro lubitu ministros, electos communi omnium consensu, curiam facientes, ad justitiam in subditos æqualiter, seposito omni dominorum respectu & partialitatis, quam vocant, affectu, jurisdictionemque nomine omnium exercentes Bes. *in th. pract. lit. Z. n. 24.* Boer. *dec. 5. num. 2.* Will. *d. l. §. 10.* Frommann. *d. l. th. 13.* Vel si ex his modis nullus allubescat, solent procedere ad divisionem usus & Exercitii Condominii aut jurisdictionis per alternas vices & ut plurimum per temporum subalternationem, qui modus administrandi Germanice appellari solet die Mutschierung, vel ut alii loqui amant, die Mutscharung, quas dictiones â latino *mutatio* dictas autumat Springs-Feld *in tr. d. Apanag. c. 2. num. 11. seqq.* ita ut Mutschierung dicatur quasi Mutierung. Besold. *thes. pract.* voc. zwey oder drey herrige gesambte Herrschafft. Goldast. *de majorat. l. 1. c. 31. num. 21.* Brückner *de jurisd. comm. c. 5. th. 8.* Slevogt. *dict. diss. de alternat. th. 2.* idque vel alternis annis aut vicibus Ein Jahr um das andere *arg. l. 5. pr. ff. d. aq. quot. l. 36. ff. de adm. tut. l. 7. §. 10. l. 19. §. 4. l. 23. pr. ff. comm. div. l. 16. §. 2. ff. fam. ercis.* post alios Gail. *de pignorat. th. 20. num. 6. & 2. O. 153. num. 7.* vel etiam mensibus alternis, Rosenthal *d. feud. c. 9. m. 1. concl. 56. num. 23.* vel quia crebris istis per tam angusta temporum intervalla saltem â se distinctis mutationibus & alternationibus majus periculum justitiæ vel retardandæ, vel intervertendæ, vel alias non satis recte administrandæ, imminere per videtur, per eas, quæ longiori temporis & aliquot annorum interstitio à se distant, subalternationes, veluti per triennium Knipschild. *de fideicom. fam. nob. c. 6. num. 317.* vel tandem etiam si vicissitudinaria gubernatio per temporum subalternationem non placeat, per exercitium & usum Condominii aut jurisdictionis cuilibet Condominorum ad certos districtus, regiones, aut, ut vocant, quarteria relictum, Costa *de quot. & rat. qu. 87. num. 9.* Sæpius jam. laud. Dn. Frommann. *d. l. c. 10. th. 4.* Et quamvis ingenere quoque tales subalternationes, per temporum vices maxime, sua habeant incommoda & inconvenientia, quæ recenset Peguerra *quæst. crim. 10.* Besold. *in thes. pract.* voc. zwey oder drey Herrige Herrschafft, Slevogt *m. l. th. 26. 27. & 28.* Attamen his non obstantibus vicissitudinariæ illius gubernationis & administrationis per temporum

porum alternationem plura etiam illustria & antiquiora & recentiora exempla exhibet Dn. Slevogt *th. 13. & plur. seqq.* imprimis Leopoldi & Ernesti Fratrum Germanorum Archiducum Austriæ ex Gerhardo à Rhoo *l. 4. histor. Austr. Anno 1406. id. th. 17.* ratione Ducatuum Sleswicensium Holsatiæ, Stormariæ, & Comitatus Ditmarsiæ inter Regem Daniæ Christianum IV, & Johannem Adolphum ex Henric. Ranzovij. *Annal. Cherson. Cimbr. class. 2. Id. th. 18.* Marchionis Brandenburgici Friderici inter duos filios natu majores ejusmodi regimen introducentis *th. 19.* Posse etiam ista, quæ inde oriri solent, incommoda certo modo devitani, aut saltem imminui, si regimen ita formetur, ut communes ministri constituantur, qui dominorum nomine, unam tantum curiam faciunt, in qua subditis administretur justitia, recte observat laud. Dn. Slevogt *d. diss. de alternat. th. pen.* Et nuper in fine præced. anni inclytæ Facultati hujus Eberhardinæ propositus talis casus fuit, quamvis sub fictis nominibus, ubi Condomini alicujus pagi communem talem curiam constitutam habent, der Fleck war gemeinschafftlich, und gehörte einem Reichs-Grafen, und einem Ritterschafftlichen Cavallier zu, so dannoch das die Unterthanen vertheilet, von denen Geld-Straffen aber, so von beederseits Unterthanen abgefordert werden, 2. Theil dem Grafen, der 3. Theil aber dem Cavallier zufallen, & quidem constantem 12. Judicibus 8. ex parte Comitis, 4. exparte Nobilis, qui Condominorum suorum nomine omnibus & singulis subditis simul justitiam administrant & dispensant, ibi: das zu Erhaltung der Justiz guter Policey und friedlichen Lebens ein Gericht von 12. Persohnen dergestallt eingerichtet, vor welchem die Bürgerliche Sachen gerechtfertiget werden sollen.

§. 14.

Dicimus tandem in descriptione, quod talis Condominus etiam tum *quando extra tempus administrationis* constitutus est, habeat facultatem circa commune illud territorium libere & juste aliquid *agendi vel habendi.* Dum *agere* posse dicitur, videtur id magis referendum ad ea, quæ respiciunt ad *acquisitionem*, *administrationem*, & *distractionem*: & cum *habere* dicitur, videtur id pertinere magis ad *conservationem* & *defensionem*, mediantibus etiam eum in finem competentibus legitimis remediis. Sic potest Condominus territorialis, utut tum administratio ei non incumbat, si alter in administratione tum temporis sibi concredita constitutus abutatur sua potestate, & subditos oneribus insolitis prægravet, aut pœnas aliter exigat ab iis ac communionis territorii leges aut ordinationes das Gemein-Buch, Vogt-Gerichts-Ordnung permittunt, aut gratiam facere velit in pœnis infligendis, ipse desuper protestari, & hoc agere, ut omnia fiant conformiter ad leges communionis, & id quod

inter eos conventum est, & ratio commissæ administrationis exposcit. Neque enim uni alicui concreditum aut demandatum Condominii & jurisdictionis communis exercitium alterum jure Condominii ipso privat, quo uti potest, quandocunque exigentia rei id desiderat: nec potest administrator ultra quod ipsi alterius Condomini aut communi Condominorum aliorum, si plures sunt, consensu commissum est, sibi sumere. In re communi potior est causa prohibentis *l. 28. ff. comm. div.* Hinc justa causa est renuendi, si Administrator Condominus pœnam carceris pro lubitu in pecuniariam mutare vellet, aut hanc vel exaltare, vel diminuere. Quo pertinet, quod in modo laud. Responso. Facultatis Jurid. Tubing. novissimo refertur ipsorum Consiliariorum unius Condomini judicium de Anno 1653. ita impertitum, das insgemein, wo einige Vogt-Bücher und zugleich an einem Ort oder Flecken zwey oder mehr Vogts-Herren vorhanden und concurriren, das auf solchen Fall, wo gewisse Straffen quasi ex pacto aut jure Condominii vorhanden, einige Erhöh- oder Erniedrigung der Straffen, ohne des Condomini Consens, und mit Einwilligung, nicht möge oder könne vorgenommen werden, sondern in allweg bey dem Vogt-Buch und consuetudine etiam jam perscripta sein bewenden behalten müsse. Unde & Antecessores inclytæ Fac. concludunt. Weil die Herren von Verona als mit Vogts-Herren ad eam jurisdictionis speciem ihre Concurrenz in cognoscendo & statuendo haben, also trage sich auf dem Rücken, das dieselbe auch bey Transmutirung der einmahl angesetzten Straffe einzuwilligen, und die Gräffliche Alexandrinische solchen Rechts sich nicht allein anmassen können: idque etiam ita juris esse, utut Condominus majorem partem jurisdictionis habeat, & de pœna duas partes cum alter saltem tertiam partem habeat. Anthon. Fab. *in Cod. Sabaud. l. 3. t. 26. d. fin. num. 7.* Bocer. *d. jurisd. c. 8. num. 48.* Dn. Frommann. *de cond. territ. c. 9. th. 19.* Quod si vero in his & similibus Condomini in concordiam venire nequeunt, lite desuper adhucdum durante, sane res aliter transigi nequit, quam per recursum ad superiorem desuper partes suas interpositurum & dijudicaturum. Gail. *in tr. de pignor. obs. 20. num. 7.* Pro defensione jurium suorum, quæ Condominus ibi habet, competunt, varia remedia & possessoria & petitoria, quæ alias pro dominio & Condominio asserendo & defendendo, ut & pro jurisdictione sive solitariè alicui competente, sive communi, competunt, sive directæ sint, sive utiles pro re nâta, quibus diutius immorari tempus non permittit. vid. B. Dn. Frommann. *de cond. territ. c. 9. th. 23. & seqq.* plur. B. Dn. Lauterbach. *in Colleg. theor. pract. ad tit. de jurisdict.* Dn. Brückner. *de jurisd. commun. c. pen. th. 9. & c. ult. th. 3.*

CA-

CAPUT II.

Specialiores quasdam quæstiones ad hanc materiam oppidò pertinentes pertractans.

§. 1.

QUid si Condomini territoriales in his vel illis rebus ac causis sibi sunt contrarii, & minus concordantes in Condominii aut jurisdictionis exercitio subditis contraria præcipiant, quomodo hi se gerere, an, & cui ex his parere debeant? R. distinguendo: Aut pluribus commune est territorium communisve jurisdictio in solidum, ut *universis*, veluti si universitati, civitati, communitati aut corpori alicui tale jus commune quæsitum sit, & hoc in casu *singulorum* præcepta aut dissensiones nil operantur, sed regulariter vota majora concludunt, *l. 3. l. 4. ff. quod cujusq; univ. nom. l. 3. ff. de decret. ab ord. fac. l. 19. ff. ad munic. l. 160. §. 1. ff. d. R. J. l. 36. ff. de re jud.* Et naturali ratione hoc obtinere, ut in iis rebus, ob quas consociatio quæque instituta est, universitas & ejus pars major nomine universitatis obliget singulos, qui sunt in & de societate: debet siquidem aliqua esse ratio expediendi negotia eo pertinentia, & cum natura rerum humanarum & civilium raro admittat, ut omnes in unum conveniant, æquius omnino, ut pars numero minor sequatur majorem, quippe quæ rationem integri habere videtur, quàm ut major sequatur minorem; idque ita tam in comitiis, quam in judiciis observari debere ex Appiano, ex Dionysio Halicarn. Aristotele, Curtio, Prudentio, atque Thucidide rectissime firmat Grot. *de Jur. B. & P. l. 2. c. 5. §. 17.* Ziegler. *de jur. Majest. l. 1. c. 31. §. 23.* Aut sunt talia jura communia pluribus pro indiviso & in solidum, ut *singulis*, quo nomine etiam veniunt plures civitates & communitates ad se invicem consideratæ: qui tanquam personæ mysticæ singulorum jure utuntur. *l. 22. ff. de fide juss.* & hoc in casu, quia omnes & singuli consentire debent, uniusque dissensus efficit, ut reliqui circa res communes, ut tales nil valide statuere possint, *l. fin. C. de auth. præst.* præcepta quorundam, utut numero plurium & dignitate quoque majorum, subditos jure non obligant, & non parentes nullatenus possunt dici contumaces. Nemo etenim duobus dominis contraria præcipientibus, ipso Deo edicente, obedire potest, unde & hic valet, quod dicitur impossibilium nullam esse obligationem *l. 3. pr. ff. ad SCt. Sylan. l. 35. ff. d. V. O. l. 185. ff. d. R. J. c. 6. d. R. J. in 6.* Deinde & jurisdictio omnium videtur impedita per concursum contrarium, quia ubicunque concurrunt duæ virtutes paris potentiæ, tantum juris habet una ad resistendum, quantum altera ad obtinendum, uti ex Floriano ratiocinatur Fulv. Pacian *de probat. l. 2. C. 36. num. 55.* Speidel. *in Spec. voc. G. num. 62. p. 461. seqq.* Esse

vero in hoc casu subditis quandam facultatem dominos cogendi ad concordandum existimant Fulv. Pacian *d. l. n. 58.* Speidel. *d. l.* Besold. *in th. pract. voc.* Zweyherrig. Quod de jure cogendi *per directum* mediante coactione verè sic dicta, vi cujusdam quasi *imperii*, aut per modum *præscripti* exercendo accipi debere saniora Politices præcepta vix ac ne vix quidem admittunt, quamvis ex lege oppositionis, quam modò citt. Dd. *ibid.* faciunt, inter *subditorum partes cogendi*, & *provisionem superioris* id sequi videatur; Potius vero id cum *temperamento* & de cogendi modo *per obliquum* tali, *honestâ civili & obsequiosâ* ratione in actum deducibili, vel remonstrando, consiliaque salubriora in medium afferendo, pro concordia in finem melius promovendi publici boni stabilienda, vel etiam decenter superioris auxilium implorando, ubi commune publicumque bonum periclitatur, accipiendum esse arbitramur, cum B. Dn. Frommann. *de cond. territ. c. 9. th. 14.* Et sunt omnino hîc superioris, si talem Condomini agnoscunt, hæ partes ut dissentientes & contraria subditis suis communibus præcipientes ad concordiam reducat, & ubi opus est renitentes quoque eo vi imperii sui compellat, talemque modum administrandi vel confirmet, vel constituat, qualem justitiæ & æquitatis ratio exigit ex Felino & aliis Gail. *d. pignor. C. 20. num. 7.* Frommann. *d. l.*

§. 2.

An Condominus non Administrator, sive extra tempus administrationis constitutus, eo tempore quo alius Condominus administrat, cum subditis in territorio communi versantibus communemque jurisdictionem agnoscentibus inscio administratore contrahere valeat? ℟. Affirmando. Quamvis enim olim Magistratus veluti Præsules provinciarum cum subditis in provinciis, quas administrabant, negotiari aut contrahere ob metum concussionis prohiberentur. *l. 3. C. Si cert. pet. l. 46. l. 62. pr. ff. de C. E. U. l. 46. §. 2. ff. d. Jur. fisc. l. 33. ff. d. R. C. l. un. C. d. contr. jud.* ita ut ne quidem per alias suppositas personas contrahere iis licitum fuerit *d. l. 3. C. Si cert. pet. l. 46. §. 2. ff. de Jur. fisc. d. l. un. §. 3. C. de contr. jud.* eo scil. tempore quo administrabant. *d. l. un. pr. & §. 2. l. 3. C. si cert. pet.* Hodie tamen hanc prohibitionem Juris Romani plerubique in terris imperii R. G. imo in totius Europæ provinciis ab usu recessisse notat Struv. *in S. J. C. Ex. 23. th. 3. & ibid.* Müller *in addit. lit. 2.* post plures hanc in rem adcitatos B. Dn. Stryck. *in usu Pand. mod. ad tit. d. C. E. U. §. 2.* ubi rationem addit, quod nostri Provinciarum Præsides non adeo remoti sint ab Aula Principis, ut hinc si potestate suâ abutantur facilis recursus sit ad Principem. Phil. Knipschild. *in tr. de contractibus Ex. 1. th. 48. in fin.* in genere scribens hanc prohibitionem hodierna consuetudine, sed sæpe cum dolendis subditorum lacrymis non observari, quod intelligendum de iis casibus

ubi

ubi subditi acerbe nimis tractantur, opibus suis emunguntur, & promiscuæ magistratuum lubidini atque avaritiæ contra jus fasque se expositos queri debent. Extra hos vero toties quoties videmus contractus inter subditos & magistratus indistincte omnes & quoscunque, imo & ipsum plane Principem recte hodie, & cum effectu obligationis ex utraque, & uti subditorum, ita & Princ pis, parte valide obligationis, & inde quoque surgentis etiam adversus ipsum Principem alicujus actionis celebrari: cum enim nihil humanius, imo nihil divinius sit, quam promissorum conventorumque constantia & observantia *l. 1. pr. ff. de pact.* & *ibid.* Jason, maximeque Principem tanquam justitiæ & æquitatis fontem & diribitorem deceat, fidei semel datæ strictiùs inhærere & ab eadem, ne transversum quidem unguem recedere *arg. l. 1. ff. de const. pec. l. 5. d. loc. præd. civ.* Gail. *2. th. 55. num. 4.* Card. Tusch. *comm. concl. lit. P. concl. 690. seqq.* cum & sanctior naturalis æquitatis jurisque Gentium ratio, cui Principes non minus ac alii obnoxii sunt *arg. §. 1. & 2. J. de J. N. G. & c. l. 9. ff. de J. & J.* elegantissime ut solet B. Dn. Mev. *in V. I. N. & G. insp. 2. §. 33. per tot.* ubi imprimis *num. 2.* cum certum sit, naturæ leges â Deo omni humanæ creaturæ esse inditas, quî possent ab iis eximi, qui se homines agnoscunt: & commune illud ipsius juris naturalis divinique principium, ut quis alteri id faciat, quod sibi ab aliis fieri velit. Math. *7. v. 12.* Luc. *6. vers. 21. c. dilecti. 13. X. d. major. & ob. & rubr. & t. t. ff. quod quisq; jur. in alt. stat.* imo & propriæ utilitatis consideratio id suadeat, ac exigat, ne contrarium sectando ab omni commerciorum genere ipse se excludat, nemine facile cum eo contrahere audente, & hactenus quasi exul esset, qui omnium Præsul est, ut raciocinatur Bald. *in l. 31. ff. de legib. & in l. 24. §. 5. ff. de minor.* Trentacinque: *var. resol. l. 3. tit. de pact. Res. 1. num. 1.* ubi post alios cumulatim adductos hanc primo regulam format: Pontifex Romanus, Imperator, Rex, & quilibet alius, qui superiorem non recognoscit, pactis & contractibus ligatur, & contractum cum ipsis factum, nemo ipsorum revocare potest. Deinde eam secundum doctrinam Pauli de Castro, Cornei, Abbatis, Parisii, Alexandri, ampliat *ibid. num. 2.* etiamsi Princeps cum subdito suo contraxerit. Knipschild. *d. l. qu. 19.* ubi multas hanc in rem congerit rationes, inter quas & hanc præcipuè urget, quod Princeps, quoad Contractus, privatorum jure censeatur, & jure communi utatur *l. 2. §. 2. ff. ne quid. in loc. publ. l. 60. §. 1. ff. de cond. & demon. l. 6. ff. de jur. fisc.* quam rationem quidem ad non subditos restringi debere monet Marc. Ant. Sabell. *in Summ. div. tract. §. Princeps num. 17.* Sed & in casu, ubi Princeps, cum subditis suis contraxit, applicabile esse rectius statuminat. Ziegler *de jur. majest. l. 1. c. 1. §. 17.* modo cum iis contrahat ut quivis alius, non ut Princeps qua talis, veluti quando tractat de

negotio

negotio & causa status, juribusque publicis. Obligari hoc modo Principem saltem *naturaliter*, non vero *civiliter* non pauci, statuunt, Abb. Ant. de Butr. Imol. & Dec. *in c. 1. X. d. probat.* qui communem hanc sententiam dicit. Quamplurimi autem contrarium defendunt, Eum scil. obligari & naturaliter & civiliter. Bald. Aret. Felin. Loffred. quos adducit Gabriel. *comm. concl. l. 3. tit. de Jur. quæs. non toll. concl. 5. num. fin.* & Trentacinqu. *d. l. n. 20.* Gail. Cravett. Hillig. Ayrer. Rauchbar. Kubach. Costal. Wesenbec. Arum. Georg de Cabeio : Bruning. quos in agmen conducit Ziegler *d. l. c. 1. §. 16.* & hanc sententiam veriorem dicit, Sabell. *d. l. num. 17.* alios adhucdum adcitans, quam & nos sequi non dubitamus. Nec movet in contrarium, quod Princeps superiorem non recognoscens Judicem non habeat, coram quo actio posset proponi, & qui vim cogendi haberet. Quamvis enim actio adversus talem Principem non possit intentari ad eum cogendum, hîc tamen sufficit eam proponi posse, eum in finem, ut per sententiam Judicis, declarantis Jus Creditoris de eo juridice constet, ut in conscientia teneatur illam admittere, & secundum naturalem æquitatem sponte pati executionem. Zoes. *in Comm. ad ff. tit. de legib. num. 33.* vid. plenius hac de re differentem Trentacinqu. *d. l. num. 21.* Optime hinc facere illos Principes, qui de contractibus suis cum subditis celebratis sicubi litigium aliquod exortum fuerit, coram Consiliariis suis aut commissariis in hanc rem peculiariter constitutis experiuntur, aut experiri patiuntur, & ab iis fide suâ, quâ Principi tenentur, tantisper libertatis, sententiam expetunt, per benè edocet Ziegler *d. l. c. 31. §. 22.* Et non rara sunt ejusmodi exempla Facultati Jurid. hujus Eberhardinæ proposita, ubi Principes in litibus suis, quæ ipsis intercedunt cum subditis, consiliarios suos ad eum modum considere jubent, audituros utrinque in modum processus momenta causarum & sententiam justam â Collegio Juridico expectaturos ; veluti ante aliquot lustra notabile exemplum occurrit optimi alicujus Principis in nostra Germania se tali judicio submittentis in causa pharmacopolii, in quo ipse erat heres institutus â testatore, non domino illius, quod vindicabatur â vidua & liberis ejus, quos volebat ille litibus implicare, pro quibus hic merito judicabatur, qui inde quoque suum non tantum ex capite *honesti*, *decori*, atque *pii* sed & ex capite *justi* obtinuerunt. Et male hîc Principem defensitassent, qui ad has distinctiunculas & abstractiones in Persona Principis, & causis ejus conscientiam tangentibus sat infelices recurrunt, quibus hodie aliqui etiam non incelebres viri adeo delectantur, ut credant se invenisse, non quod vulgare sit : qui sane Principem formant ab honestate & pietate alienum aut vacuum, & eo ipso nomen boni Principis dubium faciunt, & ipsi invident, parum reminiscentes effati illius JCti *in l. 15. ff. de condit. inst.* & oraculi Imperatorum *in*

l. 4.

l. 4. C. de. leg. & in similibus text. Parum quoque, remiscentes Principum Imperii R. G. causas majori cum cautela dirigendas esse, justitiamque dispensandam, ac Principum nullum superiorem recognoscentium, quibus tamen non minus invidiosa est talis abstractio, nisi gloriam aucupentur absolutæ talis potestatis, quæ magis in Tyrannidem declinat. Sed de quo puncto forsitan alibi alia occasione pluribus. Eodemque jure censeri debet ille contractus, quem cum toto & integro populo etiam *in ipsis Comitiis* Princeps, sub schemate tamen privatæ quasi personæ, iniit. Et utique par hîc est perinde ut in alio casu, quoad jus & vim obligandi, utriusque horum conditio, eodemque vinculi nexu uterque tenetur, non obstante quod cogi alter queat, alter nequeat, cum ea diversitas non ex modo obligandi, sed ex personarum qualitate ortum habeat. Uti eleganter quoque observavit laud. modo Ziegler *d.l. c. 31. §. 22. in fin.* Uti igitur secundum modo deducta Principi, superiorem non recognoscenti, cum subditis suis licet validè ita contrahere, ita id multo magis valebit in Principe Imperii nostri R. G. contra quem actio cum effectu etiam executionis intentari potest, sive coram Austregis, sive Camera Imperiali, sive Judicio Aulico, quotidiana ferè id docente experientiâ. Et uti talis Princeps vel alius superior, & dominus territorii, cum subditis suis in solidum talibus contrahere valet, ita etiam nullum est dubium, quin possit & cum subditis in isto territorio quod eum aliis commune habet, degentibus contrahere, non tantum eo in casu, ubi cuique Condominorum *sui proprii subditi* assignati sunt, jurisdictione communi omnibus condominis tamen & in hos competente, mulctaque exinde cuilibet pro rata sua cedente, veluti *& in supr. cit.* casu nuper Facultati Jurid. Tubing. oblato, lex communionis ita se habebat. Das der Flecken O. gemeinschäfftlich, die Unterthanen jedoch so alle Leibeigen, vertheilet, das Gräfliche Haus von A. die hohe und Malefizische Obrigkeit und Herrlichkeit, auch dem Stab zu O. allein, und auff alle Innwohner haben sollen, die gehören mit Leib zu weme sie wollen. Wann aber dergleichen Malefiz Sachen nicht am Leib, sondern mit Geldt Straffen gebüsset werden, dieselbe, welche von den Gräflichen Leibeigenen- und andern Innwohnern, auch fremden, ausserhalb der Adelichen U. Leibeigenen, gefallen, denen Herren Grafen von A. allein verbleiben; was aber für Malefiz Geldt-Straffen von denen V. Leibeigenen gefällt, daran die Herren Grafen von A. 2. Theile, die Herren von V. aber einen Drittheil zu empfangen haben sollen &c. sed & in eo casu, ubi *subditi omnes simpliciter pro indiviso communes* sunt, nam & cum his, æquè ac cum illis contrahere Condomino licitum est, ita ut utrinque obligatio valida nascatur. Ratio etenim Condominii territorialis & communis jurisdictionis sola impedimentum

aliquod ne ſubditis quidem creare aut objectare poteſt in libera facultate de rebus ſuis contrahendi. Hæ enim ſunt & manent ſolitariè propriæ ſubditorum, nec condominium territoriale, quod eſt in univerſitate agrorum, ad ſingulos agros aut ad ſingulas res ſe extendit vid. *ſupr. th. 5. in fin.* & exinde contrahere etiam cum uno dominorum poſſunt pro lubitu, perinde ac cum quovis alio ſive concive, ſive extero. Publicæ etenim utilitati vel maximè inſervit, quando id præcavetur ne libertas commerciorum impediatur. Vasqu. *illuſtr. controv. c. 5. num. 15. ſeqq.* Surd. *conſ. 323. num. 41. ſeqq.* ad quam promovendam non parum proficit imperturbatè relicta ſubditis licentia, fruges, merces, res ſuas vendendi, aliovè modo diſtrahendi, alienandive, cui & in quem velint: proin ex omni parte juſtum publiceque utile haud eſt edictum, quo coguntur ſubditi, ut ad domum domini aut ſuperioris præciſè venum transferant ſuas merces. Mev. *p. 2. d. 279. num. 4.* niſi ubi publicæ utilitatis & neceſſitatis ratio aliud ſuadeat. Joh. Volck. Bechman *in Comm. theor. pract. ad ff. ad tit. d. C. E. V. obſ. pract.* præjudicium Scabin. Lipſ. de Anno 1619. adducens: vel indigentia Domini id efflagitet, quo caſu æquitatis eſt omnino, ut præ aliis ei ſuccurratur. Mev. *d. l. num. 8. ſeqq.* modo idem pretium ſolvat, quod alibi impetrare datur, Natta *conſ. 83. num. 4.* ſcribens contrariam conſuetudinem non valere, ſed pro violentia haberi, & poſt alios adhuc Mev. *d. l. in fin.* Bechm. *d. l.* Nec intereſt an contrahat cum ſubditis Condominus adminiſtrator, an is qui extra tempus adminiſtrationis conſtitutus eſt. Hactenus enim utrique idem jus competit. Ubi vero confirmatione contractus opus eſt, ibi ſi contrahens condominus non adminiſtrator conſentit, authoritas ab adminiſtratore accommodata ſuum hîc ſine dubio præſtat effectum; iſte vero ſi renuit, hic, qui jam eſt in adminiſtrationis ſtatu jure non poteſt exigere, ut condominus non Adminiſtrator ab ipſo confirmationem eam petat. Neuter enim imperium habet in alterum, id quod ex *qu. ſeq.* uberius cognoſcere licebit: & poteſt inſinuatio & confirmatio contractus talis, maximè ubi cauſæ cognitione opus non eſt, coram quocunque alio etiam alias incompetenti Judice, imo ab ipſo Condomino, etiam in alieno territorio quando degit, fieri, quia eſt actus voluntariæ jurisdictionis Ziegler. *de Jur. Majeſt. l. c. 26. §. 12.* conf. tamen B. Dn. Lauterbach. *d. volunt. Jurid. th. 25. ſeqq. & 28. ſeqq.*

§. 3.

Anne verò ſi unus Condominorum in territorio communi delinquat, alteri Condominorum, maxime in ſtatu adminiſtrationis conſtituto, jus competat in alium, maxime extra tempus adminiſtrationis conſtitutum, cognoſcendi & animadvertendi? Diſtinguit Georg. Ad. Will. *in diſſ. Gieſſ. de jurisdict.*

comm.

comm. c. 4. §. 13. inter cives imperii *mediatos* & *immediatos*, & de *illis* delinquentibus in communi territorio affirmat, maxime si omnigena jurisdictio criminalis, nullo casu excepto, condominis sit à superiore concessa, qualis concessio illimitata latissimam interpretationem admittit *l. pen. de const. Princ.* adeo ut nec persona privilegiata eam declinare valeat, cum delinquens proroget jurisdictionem ejus, cui alias subjectus non est. *l. 3. ff. de Off. Præs. l. fin. ff. de accusat, l. 2. pr. ff. de re mil.* utut persona admodum honorabilis sit atquè clarissima, quia omnem honorem reatus excludit. *l. 1. C. ubi Sen.* Unde & non solum nobilem mediatum ab alio nobili mediato, si in hujus districtu delinquat, vel etiam inferiori & civico aliquo Judice puniri posse ex Brunnem. *ad d. l. 1. C. d. Sen.* sed & Condominum adversus Condominum delinquentem jurisdictionem criminalem exercere posse ex Klock. *1. Cons. 13. num. 59.* Brunn. *ad l. 4. ff. de recept. qui arb.* Bocet. *de jurisdict. c. 8. num. 24.* Aloys. Ricc. *Coll. 2377.* statuit ex hac quidem ratione, quod Condominus dum delinquit, jurisdictionem eatenus amittat, ut intuitu delicti pro privato habeatur, & jurisdictioni domini se tacitè submittere videatur; de *his*, immediatis scil. negat, quia tum secundum *jus civile* ab ordinaria criminali jurisdictione exceptæ sunt personæ illustres, ceu de quorum criminibus Imperator solus cognoscit. *l. 1. C. ub. Sen.* tum secundum Jus *in Imperio R. G. usitatum* causas statuum ac aliorum immediatorum imperii criminales Imperator dijudicat, citra distinctionem, an delictum in loco immediatè imperio subjecto, ac ad delinquentem spectante, an vero in alterius status territorio sit admissum, per plura præjudicia adducta ab Ern. Gockel. *de jurispr. jurisdict. §. 3.* Dn. ab Andlern *in Jurispr. publ. l. 1. t. 19. num. 24.* per consequens nec condominus territorialis in condominum immediatum talem jurisdictionem exercere posse, statuit modo alleg. Will. *d. l. §. 14.* Nos vero indistincte *negamus* Condominum territorialem ullam jurisdictionis speciem in Condominum suum, ne quidem mediatum, multo minus immediatum Imperii nostri civem exercere posse, adeoquè nec civilem, nedum criminalem jurisdictionem illi in alterum utut extra tempus administrationis constitutum competere. Cum enim hi Condomini ratione territorii sui & jurisdictionis communis parem plane & æqualem habeant invicem respectum, haud quaquam attento eo, (1.) an unus ex illis in se majoris sit dignitatis, alius inferioris ordinis. (2.) an majorem territorii partem habeat alteruter, alio minorem saltem sibi vindicante. (3.) an ordo Administrationis alterutrum tangat, alio aut ipso delinquente extra temqus administrationis constituto. Diversæ siquidem hæ qualitates naturam parilis nexus ex communi eâ jurisdictione in se considerata, qui inter eos intercedit, nec alterare, nec diversificare valent. Quilibet enim partem habet pro indiviso unius ejusdemque jurisdictio-

nis, unius ejusdemque potestatis atque dignitatis, se diffundentis quoquè per minimas particulas, in quas tamen quisque eorum concurrit, ut nullus suam possit monstrare partem, quæ identifica in totum semper & ubiquè est & manet, ubi ubi sit, & à quo quasi possideatur aut exerceatur. Hinc tanto magis hîc sibi vindicat locum illud decantatissimi juris, quo par in parem negatur habere imperium per *l. 4. ff. de recept. qui arb. rec. l. 4. ff. d. jurisd. l. 13. §. 4. ad Sct. Treb.* ex quo etiam Ganerbiis in se invicem, ubi unus in terris ad eam societatem pertinentibus deliquit, hanc potestatem cognoscendi & animadvertendi recte negat Kylling. *de Ganerb. disc. 9. num. 1. seqq.* & in genere quoque Condominis adversus Condominum in territorio pro indiviso possesso delinquentem itidem recte negat Myller ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap. 20. §. 32.* quam indistincte negantem sententiam nobiscum defendit B. Dn. Frommann. *de condom. territ. c. 9. th. 18.* rejiciens quoque *ibidem* casus, in quibus nonnulli hujus regulæ exceptiones, sed sine sufficienter concludentibus rationibus statuere allaborant. Et hæc negativa etiam vera est in casu ubi administratio per certos districtus, aut quarteria, uti loquuntur, est distributa, vel ex pluribus oppidis, vicis aut pagis unus locus uni, alius alteri est assignatus, & unus Condominorum delinquit non in loco sibi assignato, aut suæ administrat*ioni* concredito, sed in loco alterius administrationi aut potestati in eo exercendæ obnoxio. Nam nec hæc assignatio aut administrationis distributio, quamvis in subditos illius loci proximiorem & prævalentiorem quandam operetur potestatem ex præsupposita parendi arctiore necessitate communi Condominorum consensu subditis his injunctâ, attamen paritatem illam inter Condominos nequaquum tollere potens est. Ipsum enim jus Condominii & jurisdictionis territorialis communis manet commune & in se atquè substantia sua indivisum, cum isto suo parili nexu atquè respectu, quo ab initio lætabatur, solo exercitio ejus per regiones illas & administrationis distinctos terminos diviso atquè secreto: post Barthol. Abb. Imo l. Butr. Anchoran. Bald. Castr. & comm. Dd. Pacian. *de probat. l. 2. c. 36. num. 96. seqq. plur.* ubi hanc sententiam etiam veriorem dicit, & ulterius declarat, dissentientes quoquè Rotam Rom. & Angelum adducit, & argumentis eorundem occurrere satagit: tantem & limitationes subnectit, in quas quidem penitius inquirere nunc non vacat. Officium ergo Condomini talis, administratoris maximè, in ejusmodi casu in eo est, ut informationem de delicto â tali Condomino sive coadministratore, sive extra tempus & terminos administrationis constituto, commisso sumat, illudque superiori denunciet. Ancharan *in C. inquisitores in fin. de heret. in 6.* Pacian. *d. l. num. 83.* Will. *de Diss. c. 4. §. 15. circa fin.* B. Dn. Frommann. *d. l. th. 18. in fin.* provocans ratione competentiæ Jurisdictionis in personis illustribus in tali casu

casu ad Excellentiss. Dn. D. Schweder. *de Fur. illustr. J. R. G. imm. subj. th. 23.* ubi plura hanc in rem notatu dignissima *junct. prac. & seqq.*

§. 4.

Quid si Condomini territoriales inter se discordes ad concordiam vel plane non, vel non satis stabilem, reduci queant, aut unus ex Condominis, plus quam æquum est, usquè quaque sibi arroget, vel alias sive ob nimiam inæqualitatem, sive ob aliam quamcunquè causam, haud placeat ulterius in communione manere, anne ad divisionem actualem provocare possit pro lubitu suo saltem unus ex illis, & compellere reliquos multo plures etiam invitos possit ad dissolvendam istam communionem? ℞. *Affirmanda* omnino hæc quæstio est *de Regula*, etiam in persona unici illius Condomini, extra tempus administrationis tum, quando ad divisionem provocat, constituti, qui Condominus æquè manet, ac is Condominus, cui administrandi facultas contigit: id quod patet *ex l. 8. pr. ff. comm. div. l. fin. C. eod.* ubi quod nemo invitus manere in communione tanquàm matre discordiarum teneatur: prout etiam ex eadem ratione nemo invitus ad communionem ab initio ineundam compelli jure potest. *l. 26. §. 4. ff. de cond. ind.* plures rationes hanc in rem congestas videre licet ap. Speidel. *in spec. voc. G. num. 62. p. 462.* Quæ regula quoque, vera est & manet, utut (1.) Condomini inter se convenerint, ne unquam divisio fiat. Talis etenim conventio nullas hactenus vires habet, & non obstante eâ tamen ad divisionem provocare possunt, quod manifestissimum esse dicitur in *l. 14. §. 2. ff. comm. div. l. 70. ff. pro soc.* cum sit contra substantiam, aut ingenitam vim dominii, quæ in facultate & arbitrio de re disponendi consistit, & inseparabilis est â dominio quoad actum primum B. Dn. Frommann. *d. dom. acq. th. 50. seqq.* non posse unquam ad divisionem provocare, & rem suam sigillatim sibi habere. Struv. *in S. J. C. Ex. 15. th. 27. & ibid.* Müller *in addit. lit. a.* Brückner *de jurisd. comm. c. ult. §. 4.* imo etiam contra publicum interesse, in eo etiam consistens, ne inter subditos enutriantur discordiæ Speidel. *d. l. p. 463.* Dissentit Mev. *p. 9. d. 157. num. 4.* idque non tantum in contractibus aut dispositionibus privatorum, sed etiam in Regum, Principum, Baronum, Nobiliumque conventionibus. Cum enim Princeps vel alius superior justitiâ plenus præsumatur, probabilis inducitur conjectura eundem velle id, quod jura volunt. Cravett. *cons. 152. num.* Sqeidel *d. l.* & maxime ubi causa impellens ad divisionem de novo superveniat, quippe ex qua regulariter omnes aliæ conventiones & dispositiones alterationem quandam recipere possunt, quæ enim de novo emergunt, novo quoque indigent auxilio atquè remedio. Cravet. *cons. 264. num. 5.* Dec. *cons. 335 num. 3.* Speidel *d. l.* Vera porro manet regula modo proposita, utut (2.) Condomini per 30. & ulteriores annos in communione

perſtiterint. Quamdiu enim ſtat communio, & omnes & ſinguli rem communem pro indiviſo poſſident, tamdiu præſcriptio currere non poteſt, cum hoc modo unus alterum pro Condomino agnoſcat, & mala fides hîc interveniens non minus contrarietur. Bachov. ad Treutl. *1. d. 19. th. 8. lit. a. & b.* Perez. *in C. tit. comm. div. n. 6.* Struv. & Müller *d. l. lit. F.* B. Dn. Lauterbach. *ad tit. ff. fam. ercis. th. ult. & ad tit. com. div. th. ult.* Unde ſi e. gr. fratres vel ſocii, eorumque heredes in communione ſteterint etiam per 300. & amplius annos, neque diviſionem, petierint, haud poteſt dici præſcriptum communioni, ita ut impediti exinde cenſeri debeant in facultate petendi diviſionem, & judicium diviſorium cum effectu inſtituendi, recte ita concludente Schneidewin *in Comment. div. ad §. 20. J. de action. ſub. rubr. de act. comm. div. num. 19.* ubi ampliat etiam ſi per 1000. annos ſteterit communio: & Speidel *d. l.* Hoc tamen certum eſt, ſi unus Condominorum rem communem per 30. annos ſolus poſſederit nihil aliis de fructibus communicaverit, aliique nihil petierint, ſed in quieta poſſeſſione eum reliquerint, quod tunc ille, qui poſſidet præſcribat, & actioni communi dividundo amplius locus non ſit. *l. 1. § 1. C. d. ann. exc.* Wiſſenbach. *in comm. ad ff. d. 22. §. 23.* Müller *in addit. ad* Struv. *d. l.* Lauterbach. *d. l.* & ita quoque intelligendus Mev. *p. 9. d. 157. num. 1. & 2.* Denique (3.) poteſt & ad diviſionem provocare, unus Condominorum, utut teſtator injunxerit, ne unquam ex communione ſecedant, ſed in perpetuum communiter poſſideant, & bona illa adminiſtrent. Nam & hîc eadem militat ratio, diſcordiarum ex communione propullulantium quocunque modo eradicandarum, unde & metito in hoc caſu idem quod in primo ſtatui debet, imprimis ſi nova quædam cauſa ſuperveniat, id quod pluribus firmat, refutatis etiam diſſentientium argumentis Schneidevvin. *in Comment. ad §. 20. Inſt. de action. rubr. de Act. comm. div. th. 20. ſeqq.* Speidel *d. l.* Dicimus autem Condominos poſſe ad diviſionem provocare, etſi *teſtator* injunxerit, *ne unquam ex communione ſecedant.* Hoc autem limitari debet ſi teſtatoris diſpoſitio limites ſaltem ponat Condominis, ne intra *certum aliquod tempus* diviſionem communionis petant: veluti ſi prohibuit filiis ne dividant certa quædam bona, donec omnes ad legitimam ætatem pervenerint: vel alias breviorem quendam terminum ſtatuat communionis, e. gr. intra quinquennium, decennium, aliudve ejus generis tempus, adhuc dum continuandæ: Hæc enim diſpoſitio *regulariter* ſtringit *4. ff. de conſtit. Inſt.* ubi tempus 16. annorum exprimitur: perinde ac ſtringit conventio inter ſocios aut Condominos, ut per certum tempus in communione manerent *l. 14. ff. pro ſoc.* Paul. de caſtro *vol. 1. conſ. 77. in pr.* Socin. *3. conſ. 278. num. 12.* in quo neminem diſcrepare annotat Schneidvv. *d. l. §. 1402.* Quod ſi vero magnæ atque prægnantes cauſæ adeſſent, quæ diviſionem

nem urgerent, e. gr. Si socius promissis non stet, si sit rixosus, damnosus, diu absfuturus, aut re eâ communi illo modo frui non liceret, vid. Hect. Felic. *in tr. de* Societ. *c. 35. num. 28. seqq.* ubi hæc exempla pluribus examinat atque declarat. post alios Brunnem. *ad d. l. 14 §. pro soc.* tunc non obstante illa prohibitione, utut temporali, quin ad divisionem provocare possint, non est quod adeò dubitemus, cum & hîc eadem ratio utilitatis & publicæ & privatæ militet, consistentis in eo, ut discordiis & contentionibus civium quantum fieri potest, occuratur: ut propterea & hîc valeat, quod commun. dicitur: ubi eadem ratio, eadem quoque juris dispositio esse & observari debet *l. 32. ff. ad l. Aqu.* uti post Dec. Chalderin Alexandr. Cravett. Fulgos. rectè decidit Speidel. *d. l. p. 464.* B. Dn. D. Lauterbach. *ad tit. ff. Comm. div. th. 5.* Plures limitationes superius adductæ regulæ principalis recenset Schneidvvin. *d. l. n. 21.* Potest (4.) unus Condominorum ad divisionem provocare etiamsi arbiter in sententia compromissi, aut in laudo suo communionem perpetuam injunxerit. Hoc siquidem ejus potestatem vel maxime excedit: & sicuti per transactionem aut pacta contrahentium talis perpetuitas induci non potest, ita nec per laudem. Schneidvvin. *d. l.* post Alexand. Barbos. *In rer. Comunio ax. 3.* Uno vero Condominorum ad eum modum provocante ad divisionem actualem, quoad reliquos communio propterea non est sublata. Michalor *de fratrib. p. 2. C. 36.* Hect. Felic. *de Societ. c. 35. num. 4.* Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1310.* Gratian. *discept. for. c. 697. num. 1. seqq.*

§. 5.

Ad obtinendam hanc Condominii territorialis jurisdictionisque talis communis divisionem actualem, & communionis, hactenus inter Condominos qualitercunque quæ intercesserit, dissolutionem, paratum est remedium divisorium, *actionis communi dividundo* in specie appellari solitæ, cujus naturam in applicatione maxime ad præsens hoc thema paucis adhucdum, quantum opus nobis visum est, delineabimus. Est hæc actio (1.) *Civilis* & non *Prætoria.* Esse eam LL. XII. tab. introductam probabile videtur Perezio. *in C. ad tit. Comm. div. num. 1. in fin.* Sed deficit textus. Rationibus autem non destituitur hæc sententia. Primo omnes reliquæ actiones *divisoriæ*, imo omnes reliquæ actiones *mixtæ*, ratione sc. causæ efficientis, regulariter sunt civiles. Sic actio finium regundorum Legi XII. tabl. adscribi potest. *l. fin. ff. fin. reg.* & originem suam inde deducit & actio familiæ erciscundæ *l. 1. pr. ff. fam. ercis.* ut & hæreditatis petitio *l. 1. ff. de hered. pet.* Possessoriam hereditatis petitionem tamen prætoriam esse patet *ex leg. 1. & l. 2. ff. de poss. her. pet.* Unde & non sine ratione infertur, ejusdem eam quoque esse originis, & legi XII. Tabl. quoque adscribendam, si non ex *verbis*, tamen ex *sententia* illius, quæ fuit, neminem

in

in communione propter rixas & discordias inde oriundas permanere debere Frantzk. *in comm. ad tit. ff. Com. div. num. 2.* Deinde nullibi hæc actio inter Prætorias relata invenitur, & in specie quoque non inter exceptione eas, quæ ex quasi contractibus juris Prætorii esse dicuntur, quarum tres recensentur ap. Dn. Præsid. *in diss. de impens. in re al. fact. th. 22.* Est (2.) *directa*, per expressa legis verba quæ producitur, quatenus intenditur, ad ipsum commune territorium, tanquam rem corporalem, dividendum, una quidem cum pertinentiis atque connexis, quæ simul in eam divisionem per necessariam consequentiam veniunt. Saltem enim corporalium rerum, quarum dominium habemus, divisio proprie ad hanc actionem pertinet. *l. 4. pr. ff. comm. div.* Quando vero saltem de divisione jurisdictionis communis seorsim consideratæ contentio est, tunc quidem idem hoc genus actionis, specie tamen alia competit: nempe non *directa*, sed *utilis*, communi dividundo actio, illa quæ *utilis ex mente* dicitur, & non ex legis verbis expressis, sed saltem ex ejus ratione, evitandas illas, quæ ex communione oriuntur, discordias & rixas æque hic ac illic spectante, per interpretationem eruitur *l. 7. §. 7. & 10. l. 19. §. fin. eod.* Et in specie in his terminis competere hoc judicium utile statuminat Brückner *de jurisd. comm. c. ult. §. pen.* Perez. *in C. d. l. num. 2.* B. Dn. D. Frommann. *de divis. act. c. 2. §. 1. circa fin.* Hæc ratione causæ *efficientis remotæ* Est (3.) *nativa*, quia oritur ex immediata & ordinaria causa, ad producendam ex se actionem habili, *uti patebit ex divis. seqq.* Potest tamen fieri *dativa* e. gr. ubi â Condomino alteri ceditur, quod fieri posse edocemur *l. fin. C. de hær. vel act. rend. l. 8. C. eod.* vid. Perez. *d. l.* Struv. *in S. J. C. Ex. 15. th. 21.* Est (4.) *mixta* ratione causæ efficientis, & ideo partim realis partim personalis *§. 20. J. de act.* & *realis*, quatenus ex dominio, aliove jure in re oritur, dum quisque partem suam ex Condominio aut re communi sibi vindicat *l. 4. pr. l. 7. pr. §. 2. 6. 7. 10. ff. h. t.* & *personalis* quatenus ex quasi contractu, & facto gestionis aut administrationis rerum communium ad præstationes personales competit *§. 3. J. de obl. ex quas. contr. l. 4. §. 3. l 29. pr. h. t.* Et talis est semper *habitudine* suâ & potentiâ, quamvis non semper *actu* quoque mixta sit, veluti si res jam communis esse desiit, tunc enim amplius ad divisionem agi nequit, superest tamen hæc actio ad præstationes personales tantum, utilis scil. *leg. 6. §. 1. ff. eod.* Perez. *d. l. num. 2.* prout etiam si manente communione saltem agitur ad impendia utili hac actione *l. 14. §. 1. eod.* Hæc ratione causæ *efficientis proximæ* Est (5.) *duplex* ubi uterque nostrorum Condominorum ad divisionem provocare non tantum potest, sed & quilibet eorum utrumque respectum & actoris & rei subit, & qui provocat, non actoris tantum, sed & rei insuper, & qui provocatur non rei tantum, sed & actoris insuper partibus fungitur, cum ex utraque litigan-

tium

tium parte, si non *actu* semper, *potentia* tamen sit, quod in hoc tali judicio prætendatur, & alter ab altero quid petat, & sic uterque agat, uterque se defendere necesse habeat, per text. *in l. 37. ff. de O. & A. l. 13. l. 14. ff. de jud. l. 2. §. 1. ff. Comm. div. l. 10. ff. fin. reg. l. 44. §. 4. ff. fam. erc.* Quod quidem contra processus & judiciorum ordinem incurrere videtur, dum ad judicium constituendum opus ut alius sit, qui petat, alius â quo petatur, & qui actionem intentatam excipiat atque ad eam respondeat; hoc tamen hic ex necessitate conditionis causæ, unde tales actiones oriuntur, & justitiæ ratione admissum, cum æquius omnino visum fuerit sub hac procedendi ratione, utut quodammodo confusa, partes admittere quam repellere, ad præcavendas eas & citius supprimendas implacabiles sæpius dissensiones, hoc in genere actionum identidem propullulantes, ob quam causam leges nostræ hac in parte meritò adeò indulgentes fuere, de eo tamen insimul studiosissimè sollicitæ, ut ad ordinem, quam fieri possit, hoc genus revocetur, introducendo, ut pro actore haberi debeat, qui prius ad judicium provocavit *d. l. 2. §. 1. ff. comm. div. l. 13. ff. de jud.* aut utraque simul provocante sorte res dirimenda sit. *l. 14. ff. de jud.* post plures Brunnem. *ad d. l. 13.* Est (6.) non *in rem scripta*, sed *simplex* sive directa hoc respectu. Quamvis enim, uti diximus, etiam personalis sit, & tamen detur adversus Condominum possidentem, divisionem detrectantem, & quoque adversus singularem possessorem, in quem alter Condominus partem suam alienavit. *l. 1. C. comm. div. l. 14. §. 3. ff. eod.* Oldendorp. *de act. for. cl. 4. act. 22. §. Cui & adv. quem. 4. in fin.* Ex qua causa *hereditatis petitionem* etiam actionem in rem scriptam esse, evincere voluit post Gloss. & Alexandr. *in rubr. Si cert. pet.* Rob. Marant. *in tr. de ord. judicior. p. 4. dist. 3. num. 61. seqq.* Attamen hæc communi dividundo actio propterea non potest pro in rem scripta reputari. Repugnat hic sane analogia juris nostri in totum. Est enim hæc actio, quatenus datur adversus possidentem ad divisionem, ex se & suâ naturâ realis, & hoc respectu adversus possessorem competit, ut propterea ea opus non habeat extrinsecus facta generali scriptione in rem aut subsidiaria illa extensione, cum hoc habeat ex sua propria natura. Insuper & deficit legislatio specialis, hoc particulariter disponens: Deficit & fundamentum, obligatio scil. ex facto quodam illicito proveniens, cui legislatio adsistere solet: vid. B. Dn. D. Frommann. *de divis. act. in gen. c. 4. §. pen. & c. 5. ferè circ. fin.* prout etiam *hereditatis* petitio ex iisdem causis ab ea classe rectius segregatur, quod etiam solide demonstravit, Marantam refutans Ad. Cortrejus *in Diss. de act. in rem script. c. 5. num 7.* Et hæc ex loco *Subjecti.* Est (7.) quatenus realis, *arbitraria. arg. §. 31. J. de Act.* B. Dn. Frommann. *in diss. de differ. act. arb. & non arb. thi 32.* quatenus vero personalis, *bonæ fidei.* per *§. 28. J. de Act. l. 2.*

§. 4. *l.* 14. §. 1. *ff. comm. div.* Nil movente in contrarium illa regula, quæ reperitur ap. laud. modò Dn. Frommann. *d. l. th.* 9. ubi quod actionum arbitrariarum nulla sit bonæ fidei. Hanc enim non accipiendam esse, nisi de actionibus *mere* aut *pure realibus*, aut *personalibus*, non vero de *mixtis*, quæ diverso respectu & arbitrariæ sunt, & bonæ fideis, cum ratione realitatis arbitrariæ, & ratione personalitatis sint bonæ fidei, tota tractatio *ibid. imprimis in th.* 31. *in fin. th.* 32. *seqq.* evincit Hæc ex loco *formæ* accidentalis. Est (8.) *divisoria*, quæ hoc sibi proprium habet, ut Judici in ea permissa sit facultas adjudicandi uni parti tale jus, quod hactenus nondum habuit, ita ut per solam eam sententiam illud jus, quod alter Condominorum hactenus habuit, in eum tranferatur sine ulla traditione §. *fin. J. de Offic. Jud. l.* 17. *C. de usur.* §. 26. *J. de act.* utique quo ad partem rei communis ita adjudicandam, non ita quoad aliam quandam rem. *arg. l.* 18. *ff. comm. div.* Secus ac in actione *mere declaratoria*, cujus generis sunt omnes actiones & reales & personales, quæ non sunt divisoriæ, in illis enim judex sententiâ suâ non valet constituere novum aliquod jus, quod antea nondum erat acquisitum, sed saltem declarat illud jus, quod sibi ante processum jam acquisitum actor prætendit, ipsi competere: uti id evincit textus luculentissimus *in leg.* 8. §. 4. *ff. si serv. vind.* Exinde apparet verum esse quod dicitur, quod Judicis sententia in judiciis realibus *divisoriis* referat ipsum modum dominii acquirendi, & sit ipsa causa dominii alteriusve juris in re constitutiva, in *declaratoriis* vero se saltem habeat, per modum tituli ad dominium aliudve jus in re transferendum habilis, perinde ac in judicio alio personali. vid. B. Dn. Frommann. *de tradit. ver. th.* 12. Hæc ratione *finis*. Est (9.) *perpetua* & non temporalis *l.* 1. §. 1. *C. d. ann. exc. vid. th. præc.* Et est denique (10.) *transitoria* ad heredes. Quod expeditissimum est, quoad transitionem *activam*, nam heredibus sine dubio datur, & quatenus realis, quia ipsum jus in re, dominium, servitus &c. transit vid. B. Dn. D. Lauterbach. *de transit. act. th.* 2. & quatenus personalis, quia est ex quasi contractu, per textum generalem *in l.* 13. *C. de contr. stip.* Sed quoad transitionem *passivam*, quatenus *realis* est, non datur adversus heredes, quà tales, sed quatenus possident Wesenb. *ad tit. Com. div. num.* 3. *in fin.* quod recte restringit B. Dn. D. Lauterbach. *in Colleg. ad d. t. th.* 10. quoad ipsam rerum communium divisionem; quatenus vero est personalis, ex quasi contractu ad præstationes personales competens, sine dubio est transitoria quoquè passive, ita ut & heredes rei teneantur *l.* 4. §. 3. *l.* 10. *ff. Comm. div.* Hæc ex loco *contrariorum*.

§. 6.

Quid si verò Condomini tales sunt, qui judicem aut superiorem nullum

lum agnoscunt, cum quibus judicio experiri non datur, si inter se convenire nequeant, quolibet eorum suum arbitrium, contrariantibus sibi invicem sententiis, pro justo reputante & præfractè tueri audente, anne tunc ita inter se contendentes statim ad vim armorum, & subsidiarium illud belli remedium, quod inter liberas gentes nullius imperio subjectas vices judiciorum supplere debet, secundum tritum illud: *bellum incipit, ubi judicium deficit*: quod Cicero *in libro de offic.* 1. ita exprimit: *Duo sunt genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore*: prorumpere, anne vero potius omnia quævis molliora media pro amicabili quavis transactione aut compositione tentare debeant? id unicè adhucdum brevibus discutiendum nobis superest. Sanè ipse modò allatus Ciceronis locus demonstrat, bellum saltem justum dici ex capite necessitatis, & *per modum subsidiarii remedii*, cum sæva res sit bellum, cumulum secum trahens injuriarum & insolentiæ, uti ex Plutarcho, & ex Augustino edicente: *Belligerare malis videri felicitatem, bonis necessitatem: & à justis non sumi nisi necessario, ab injustis sponte*, firmat. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 24. §. ult.* Quò pertinet & illud Terentii: *omnia prius experiri quâm armis sapientem dicet.* Unde uti abscissio membri per se non est licita, eo tamen in casu licita, imò necessaria est, quando alias totum corpus corrumperetur: ita & de belli justitia ex statu necessitatis sentiendum esse rectissime monet Universitatis hujus Manif. Dn. Rector D. Hochstetter, *in Colleg. Pufendorf. d. Off. hom. & civ. pag. 516.* Necessitas autem apparet, quando adversarius ejus pertinaciæ est, ut nullâ vel amicabili interpellatione, vel aliâ disceptandi juris via, quâ inter æquales, ubi desiunt judicia, controversiæ contentionesque sopiri & conciliari solent, in saniorem, reddendi alteri quod suum est, viam reduci nequit. Dn. Præses *in Diss. de Recup. bell. th. 4.* Talium viarum & mediorum contentiones inter supremas ejusmodi potestates amice & humanius componendi molliorum tres communiter recensent species 1. *Colloquium* inter easdem ipsas, aut per legatos earundem instituendum. Grot. *d. tr. l. 2. c. 23. §. 7.* Pufendorff. *in tr. d. J. N. & G. l. 5. c. 13. §. 3.* Bœcler. *in Disp. de Colloq. Princ. per tot.* ad quod instituendum pares quoq; regulariter obligatas esse, rectè statuminat Dn. Kulpis. *ad Grot. d. l. §. 2.* Huic 2. proximius rectè jungitur *judicium sortis*, consensu partium id permittente. Grot. *d. l. §. 9.* Pufendorff. *d. l. §. 3.* Et 3. ubi nec partium disceptatio exitum controversiæ invenire aut comparare potest, nec sorti rem committere placet, proximum est & ultimum medium *in Compromisso*, ubi electis utrinque arbitris, eorumque cognitioni atque dijudicationi res relin-

quitur, cum hac utrinque liberè facta sponsione, se stare velle horum sententiæ. Grot. *d. l.* §. *8*. Pufendorff. *d. l.* §. *3*. Exempla controversiarum quam plura hoc modo diremptarum ex Alber. Gentil. & Grot. adducit Dn. Hert. *in Comm. ad. Pufend. l. 5. c. 13.* §. *3. lit. c.* jungens quoque ex aliis adhuc alia, quales autem eligendos esse arbitros ex regulis prudentiæ pendere recte inculcat. Dn. Kulpis. *d. l.* add. omninò Dn. Sim. Henr. Musæi *Diss. de modis compon. Gent. controv. per tot.* ubi plenius. Hisce verò jam frustra tentatis unicum illud *belli* subsidium, si alter jure suo cedere nolit, quod quidem regulis Christianæ vitæ, si circumstantiæ aliud non suadeant, exactius conveniret, de quo vid. Reverendiss. Dn. Cancellar. D. Jäger *in observat.* ad Grot. *l. 2. c. 24. O. 1.* remanet, cum vel ipsa natura, eique inscripta lex curam salutis propriæ cuique commendet, cui innexum illud jus me meaque defendendi, aut id quod meum est per vim quoque extorquendi, quando amicè istis modis impetrari haud potuit. Et exinde quoque comm. inter justas belli causas in specie refertur tentanda conservatio & recuperatio rerum nostrarum, ab alio iniquè detentarum Grot. *d. tr. 2. c. 1.* §. *2.* Bocer. *d. bell. c. 4. num. 10. & ibid. citt.* Dn. Præs. *in d. diss.* §. *4. in fin.* Quid verò si jus ambiguum sit, controversiâ exortâ de ditione, quam neuter adhuc dum possidet, nec patet quis potiori jure gaudeat, aut uterque ex æquo quidem possideat, sed inter se convenire nequeant, quod ad præsentem nostram materiam proximius omnino pertinet, iniquus omninò censendus est, qui oblatam rei controversæ divisionem repudiat: rectè id observante Grot. *d. l.* §. *12.* cujus opinioni hac in parte cum Molin. Bannez. Suaretz. rectè subscribit laudatiss. Dn. Cancellar. D. Jäger. *d. l. O. 2. in fin.* & Dn. Kulpis. *d. l.* §. *3. lit. m.* Possent quidem adhucdum multa alia hic in medium adduci, nisi tempus deficeret.

Sunt vero hæc capita præcipua, quibus tunc acquiescimus.

S. S. D. G.

VI. DIS-